

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CCLXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## CCLXXXI.

EGENO COMES FRIBURGENSIS ECCLESIAM PAROCHIALEM IN NUSBACH A MAJORIBUS SUIS MONASTERIO OMNIUM SANCTORUM LEGITIME TRADITAM ESSE PROFITETUR.

ANNO MCCCLXV.

*Ex tabulario familiae nobilis de Schauenburg.*

**N**OS EGENO Comes de Frypurg, notum facimus tenore presentium universis & specialiter omnibus quorum interest nunc vel in posterum quod ab olim *progenitores nostri* devotione moti Ecclesiam parochialem ville *Nuspach* ad ipsos tunc jure domini vel quasi spectantis cum omnibus suis capellis & jure patronatus videlicet capella in *Obernkirch* & in *Oberndorff* ac etiam in *Noppenau* & in *Eberswilre* cum omnibus suis fructibus & decimis & iuribus universis pro remediis & salute animarum suarum pro fundatione & in dotem monasterii omnium Sanctorum ordinis Premonstratensis in Nigra Silva Argentinensis diecesis donarunt & contulerunt, quodque ipsum monasterium omnium Sanctorum supra memoratum super hujusmodi fructibus & decimis pro sustentatione fratrum inibi virtutum Domino famulantium extitit fundatum & institutum, in quorum evidens testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum, datum in die festo beati Matthie apostoli anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto.